DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

NEPHRITIDE.

QUAM,

PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex Authoritate Magnifici Rectoris,

D. THEODORI RYCKII, J.U.D.

in Illuſtri Academiâ Lugduno-Batavâ Profeſſoris Hiſtoriarum & Eloquentiæ,

NEC NON

Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Publico examini ſubjicit

THOMAS AYLWIN, ANGLUS.

Ad diem 19 *Martii, loco horiſque ſolitis.*

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDCLXXXII.

10
1185.g.16
10
k

Ornatiſſimo, Prudentiſſimoque

VIRO,

D. JOHANNI BRAMAN,

de Patria ſua optimè merito, ac propter beneficia in me collata, Parentis loco habendo & ad rogum uſque colendo.

NEC NON

Ingenioſiſſimo Domino,

D. JOHANNI MERLOTT,

amico ſuo præſtantiſſimo, ſemper venerando.

In perpetui honoris & obſervantiæ teſſeram

Hoc Lemma Inaugurale humillimo animo

Offert & Conſecrat

THOMAS AYLWIN,

Author & Reſpond.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE NEPHRITIDE.

THESIS. I.

Dum ſpeculor ſtupendam corporis noſtri compagem, atque tot partium diverſarum harmoniam ac amicam copulam, totus admiratione afficior, meque abſtinere nequeo quin ſummum noſtrum Opificem venerer, qui potentiam inviĉtiſſimam, ſolertiam inenarrabilem, ſapientiam ac bonitatem immenſam tam luculentis Characteribus propalare dignatus eſt, adeo ut nulli debitè contemplantes hanc inſignem machinam Numinis omnipotentis exiſtentiam in dubium revocare valeant niſi amentes, niſi occæcati, niſi illi, qui ſubſannantes Mirabilia Dei, apud ſacros Codices, ſtultorum nomine inſigniuntur. Vere Homo Microcoſmus vocitatur, non tantum propter fluvios ac rivulos, canales arterioſos ac venoſos, omnes tractus Microcoſmicos irrigantes ac vivificantes, ſed montes atque valles, tot acclivia atque declivia (ut reliqua univerſi ſyſtema referentia ſileamus) quæ ſedulæ Anatomicorum manus rimantur ac patefaciunt. Uti ſapientiſſimus noſtri conditor partibus tam affabrè factis nos inſtruxit, ſic peccatum primævum inſtar Pandoræ pyxidis, luxuriantem malorum ſegetem intulit, effecitque, ut non minus Univer-

[illegible] morbis noſtris æmulemur, quum [illegible], tam nitidè conſtructis: nam ſi [illegible] [illegible] [illegible], alluvionem patimur; vapor in noſtris viſceribus concluſus atque incarceratus, quemadmodum in terræ motu, totam fabricam concutit atque conquaſſat; vermiculi inſtar tot piſciculorum in purpureis fluentis interdum ſalire conſpiciuntur; vermes, quaſi tot ſerpentes, particulas ſenſiles arrodunt, Chylumque abliguriendo ſanguinem debito ſuo genio defraudant, imo ut uno verbo totum complectar, multifariis in locis coagmentantur concretiones Tartareæ, tophaceæ atque terrenæ, ſaxeæ duritiei non cedentes. Introëamus ergo miſellorum hominum Arenarias atque Lapidicinas, ſaxumque à tot doctiſſimis viris volutatum, non Siſyphæo ac ærumnoſo labore, ſed Philoſophico & non injucundo ſtudio revolvamus, & ſpeciatim Nephritidem enucleemus, quod Lemma, favente Deo Opt. Max. explicandum propoſuimus.

I I.

Ut methodus mea in hac Diatribe melius eluceſcat, hæc ordine expoſiturus ſum. 1. Ne ambiguitate vocis Nephritidis laboremus, Etymologiam ejus expendam, oſtenſurus quanam acceptione Nephritidem explanare in animum induximus. 2. Morbum ipſum deſcribere conabor. 3. Cauſas hujus affectionis tam externas ceu Procatarcticas, quam antecedentes & proximas detegam. 4. Rationes ſymptomatum, quæ exinde ſoboleſcunt, patefaciam. 5. Diagnoſin quâ hic morbus ab aliis diſcriminatur, tradam. 6. Prognoſin inſtituam. Ultimo medelam annectam. In hiſce omnibus quantum potero, brevitati ſtudebo, non tractatum ſed Diatribem conſcripturus.

I I I.

Res eſt manifeſtiſſima hanc affectionem non eſſe, ut ita dicam, recentis editionis cum Lue Venerea aliiſque morbis, ſed omni ævo fuiſſe notiſſimam, uti elucet ex antiquorum monumentis, ſc. Aretæi, Aureliani, Hippocratis atque Galeni, quæ conſignarunt, poſteriſque reliquerunt, ubi exſtant ſymptomata Nephritidem conſequentia, tanquam umbra corpus, imo non contenti ſymptomata

nephri-

nephriticos infeſtantia enumerare, cauſas juxta ſua dogmata reddere fuerunt conati. Hæc autem mitto ac proſequor id quod primum habeo enucleandum. Sciendum ergo eſt non tantum collicias Renales calculorum exiſtere ſodinas cum urinæ ciſterna, ſed multiplici Anatomicorum experientia comprobatum eſt, alias partes non manere immunes; procreantur enim ubicunque aliqua notabilis Limphæ ſecretio peragitur; aut ubi ſuccus viſcidus terrenus ac Tartareus hoſpitari & irretiri poteſt, nempe in glandularum maxima Pancreate, in glandula Pini, in Arteria Aorta, Lienali, in Cyſtide fellea (ut omittam acinos Hepaticos deprehenſos materia tartarea oppletos) in cordis Thalamis, in tubis Fallopianis, aliiſque locis quamplurimis, etſi nomina à partibus affectis non fuerint excogitata, dum Calculus in Veſica urinali indigitatur nomine Lithiaſeos, uti ille in fiſtulis Renalibus concretus, Nephritidis inſignitur vocabulo, quod ἀπὸ τῶν νεφρῶν, ſc. à parte affecta deſumitur. Conſtat autem apud Authores medicos nephritidem univerſim quamcunque renum affectionem deſignare poſſe, ac proinde illorum ulcera, & omnis generis obſtructiones. At ſpeciatim uſu venit, ut tria denotet, primò lotii ſanguinolenti profluvium, propter vaſorum Renes perreptantium ἀτονίαν, ſive laxitatem; aut ſanguinis qualitatem corroſivam vaſorum poros ita ſibi efformantem, ut præter ſerum cruor etiam tranſcoletur; non aliter ac in fluxu Hepatico, in quo acinorum Hepaticorum pori præter naturam immutantur; hinc ſanguis inſtar loturæ carnium ex ductu cholidocho profluere in inteſtina ac per podicem excerni ſolet. 2. Renum inflammationem ſignificat, nam apud veteres à parte morbida deprompta, ac in ῖτις terminantia illius Phlegmonem exprimunt, ut Phrenitis ac Pleuritis. 3. Renum calculum (quod meum erit Lemma) qui inflammatoriam diſpoſitionem ſecum trahit comitem fermè individuum. Miſſis autem quiſquiliis ac verborum tricis, rem ipſam deſcribere aggrediamur, Galeni memores, qui de λογομαχία celeriter ad pactionem veniendum toties nobis inculcat, ne tempus ac operam in eo terentibus rerum cognitio præripiatur.

I V.

Complures deſcriptiones atque definitiones huic affectioni aſ-

 ſigna-

ſignarunt Authores, prout diverſas excogitarunt Hypotheſes, quas hic recenſere nimis longum foret, ac forte inutile; nihiloſecius ut morem geram conſuetudini in theſibus concinnandis, definitionem tradere in animum induxi; eſt ergo nephritis nil aliud quam concretio ſaxea in ſiphunculis Renalibus, Pelvi & Ureteribus hoſpitans, oriunda ex ſeri portiunculis, atque tartareis in humore pituitoſo & tenaci irretitis, dolorem pariens lumborum gravativum, interdum acutum, unà cum vomitu, crurum ſtupore &c. quam definitionem, refutando cauſas ab aliis allatas, elucidare & defendere enitar.

V.

Nunc vero mea Methodus expoſcit ut enumerem cauſas externas quæ audiunt Procatarcticæ. Non me refugit cauſas haſce plerumque valdè fortuitas, ac incertas repertas eſſe, quæ ex ſe parum efficere valent, niſi aliæ in ſcenam proferantur valentiores, quæ manus ſuas præbere poſſunt auxili atrices; attamen illas hujus farinæ quæ Authores culpandas eſſe reputant, in medium proferre non gravabor. In hunc cenſum veniunt illa omnia quæ procreare pituitam viſcidam atque tenacem, & ſanguinis ſerum particulis Tartareis, terreniſque inquinare queunt: quemadmodum vina circumcidanea præliganea, aut etiam id quod ἀειγλεῦκες ſive ſemper muſtum, & à Plinio aïgleuces vocitatur; deinde turbida, ac minus defæcata, Tartaro ſcatentia impuro & terreſtri, uti rubella, unde Pictones ſeſe vino Tartareo ingurgitantes frequentius hoc morbo colluctari perhibentur, quam aliæ nationes quibus tanta vini conſimilis copia denegatur: huc ſpectant cereviſiæ non bene depuratæ, vel conflatæ ex illis aquis quæ ab Hippocrate appellantur in ſuo Libro de Aëre, Aquis & Locis, ὕδατα ἐπακτά, quæ poſt pluvias uberrimas ex longo locorum intervallo decurrentes diverſis tractibus & in unum confluentes alveum, ſicque abradendo exteriorem terræ corticem, particulas cretaceas & cœnoſas ſibi admixtas nanciſcuntur, aptas natas ſuppeditare materiam calculis compingendis idoneam. Nec ab alio fonte petenda eſt ratio, cur Romani Tyberinis utentes aquis, creberrima calculi tormina perſentiſcerent: ab aquis Lithiaſes & Spleniticæ affectiones, inquit venerandus Senex. Inter eſculenta, craſſa & viſcoſa & dyſpepta,

ta, legumina; Dulciaria atque ſalſaria ut Hydrogarum, hinc eſt quod capræ quæ multo ſale oblectantur, ideo muros lambant, calculo divexentur, maximè dum provectioris ſunt ætatis: imo luculentum exſtat exemplum apud doctiſſimum Gliſſonium in tractatu ſuo eleganti de Hepate (etſi non ſit humanum, nec in nobis cauſa eſſe poſſit) de vaccis quæ fœno arido veſcuntur tempore hyberno, quarum ciſtidem felleam profitetur ſe multoties deprehendiſſe terrenis concretionibus oppletam, at vaccas, poſtquam bene paſtæ herbis Diureticis fuiſſent penitus ab hiſce liberatas fuiſſe, ipſum edocuit Autopſia. Huc ova indurata, Panis azymus, ſecalinus bis coctus, pedes bovini, & conſimilia, ſymbolum ſuum conferre queunt. Sunt nonnulli qui nutrices culpandas eſſe reputant dum faſciis nimis arcte infantes circumvolvere aſſolent, cenſentes exinde calculi renum occaſionem oboriri poſſe. Sed de his ſatis egi, quare brevitati ſtudens ad alia me accingam.

V I.

Nec prætermittenda eſt prava meatuum mictualium conformatio, quæ certo certius anſam præbere poteſt calculis procreandis. Liquet ſtructuram & organiſationem partium plurimum variari, ſc. in Johanne, Petro & Jacobo; alii enim nanciſcuntur fiſtulas urinarias patulas, ac amplas; in nonnullis ſtrictiores & anguſtiores exiſtunt, in aliis ureteres recto tramite, in quibuſdam recurvo, obliquo, & per ambages in veſicam proſerpunt. Unde in iſtis anguſtiis, quicquid ſit viſcoſum, & tenax facilius commoratur, nec ſinit ſe urinæ fluento abreptum iri, & per conſequens in veſicam amandari. Quod ne gratis à me prolatum reputet quiſpiam, ſententiam hanc plurimis exemplis munire potis ſum, interea brevitatis ergô, reliquis prætermiſſis, videre eſt Phthiſin in gibbis ſæpenumero (corpore alias ſaniſſimo) non aliunde accerſiri, quam à deprevata coſtarum conformatione, quæ minorem arcum efformantes pectuſque anguſtantes impedimento ſunt pulmonibus ſpiritu inflandis, ideoque viſcida Phlegmata intra pulmonum cellulas, aut bronchia, quæ compinguntur ex teſſellulis variis cartilagineis, ope membranarum fibris muſculoſis conſperſarum colligatis, præ ſua viſciditate explodi nequeunt, ſtagnando computreſcunt & acria evadunt, pulmones arrodunt, & tandem veram

& ge-

& genuinam Phthiſin pariunt : luculento argumento pravam partium conformationem valere, magna ac execranda producere ſymptomata.

V I I.

Hactenus explicatum ivimus cauſas hujus morbi externas & organicas, nunc reliquum eſt, ut ſedulo illas quæ morbi eſſentiam propius reſpiciunt, inveſtigemus. In quibus explicandis totus rei cardo verſatur, & contentionis ſerra tam inter veteres, quam neotericos reciprocatur. Nonnulli cauſantur calculoſam Renum diſpoſitionem, inter quos Doctiſſimus Fernelius primas tenet, ne gry quidem ortum ejus propalare annitentes, quod idem profecto eſt cenſendum, ac ſi profiterentur, ſe hìc omnino cæcutire, dum alii præ gelida illorum intemperie calculos conglaciatos eſſe judicarunt : aliqui imaginati ſunt calorem exiſtere λιθοπλάστην, & Renes inſtar fornacum, in quibus fictilia reducuntur in duritiem ſaxorum æmulam, dum propter exhalationem particularum fluidarum & aquearum, quod reliquum eſt Phlegmatis glutinoſi, in calculum mirâ metamorphôſi convertitur. Quemadmodum inquit Hippocrates, in lib. de Morbis, ſcoriis ſquaminatim deciduis, ferrum ſolidius & compactius evadit, ſic exhalata fluidiore urinæ parte, quod fæculentum ſupereſt, in lapideam molem à calore coagmentatur. Quod ad illorum dogma ſpectat, qui calculorum exortum in conglaciationem refundunt, non opus eſt, ut multa in medium proferam, ad funditus evertendam opinionem contra œconomiam noſtri corporis tam apertè militantem. Quis enim ſuperſtes eſſet, ſi tantum frigoris invaleſceret, vel ſaltem pars, in qua nidulatur, morticinium pateretur, Gangrænam aut ſphacelum. Nec ferendum eſt dogma ſtatuens calculos propter fervidos Renes induratos. Cauſa cum effectu ſemper connectitur, nec agere ſolet, uti in Scholis, extra ſuam ſphæram, extra ſuos limites; nec imbellis columba generat ferocem aquilam, ſic & calor Renum, qui ab influxu ſanguinis dependet, mitis & blandus agnoſcitur, imo ſi tunc temporis, præternaturalis & retorridus fervor contingeret, pituitam in calculos compingere non valeret. Imo & hoc non parum adverſariorum cauſam, evertit, ſc. luculenta obſervatio Doctiſſimi, Clariſſimique Viri DD. Drelincurtii Regis olim Galliarum Conſiliarii

liarii nunc vero in hac celeberrima Academia Medicinæ Practicæ ac Anatomiæ Profeſſoris & Præceptoris mei plurimum venerandi, qui nobis retulit in ſuis Collegiis Anatomicis ſe in Embryonibus quadrimeſtribus & quinquemeſtribus obſervaſſe calculos præduros intra tubulos Renales concretos & ad actos. Hinc elucet, ſi calor vitio verteretur in hiſce coagmentandis, illorum cauſa in tam tenellulis Embryonibus, ubi, uti loqui amant, calor nativus reperitur debilis, quoniam ſanguinis fermentatio non tam potenter viget, ac in adultis, præriperetur. Pudeat ergo aliquem calorem, tanquam harum concretionum Opificem cauſari, aut frigus, dum iſtis prædicta, tum modo proferenda refragantur.

VIII.

Neoterici varias amplectuntur ſententias in exortu calculorum computando: nonnulli arbitrantur ſalem acidum aut auſterum in ſubſidium convocari debere tanquam calculorum opificem; hinc ædium calcatarum tenax eſt junctura: alii qui ſalibus utuntur ad omnes morbos explicandos, ac omnia naturæ Problemata enodanda, in Alcali & acidum cauſam hujus morbi refundunt, putantes poſt hoſtilem horum ſalium luctam, & ebullitionem inſignem circa renes præcipitari coagulum, quod in præduram faceſſit concretionem: Nonnulli Chymici reſpicientes ad coagulationes ſpagyricas, ſi Oleum Vitrioli dephlegmatum cum Oleo Terebinthinæ ſocietur; aut ſi ſpiritus Nitri oleo Garyophillorum commiſceatur, illicò in coagulum deſinunt, originem calculorum ex conſimili coagulatione repetendam conjectantur. Aliqui docent ſolideſcere ob quendam ſpiritum Gorgonicum, vel Architectonicum: ad expiſcandum calculorum ortum ac illorum recludenda principia alii Vulcano, aut ignis torturæ committentes, & deprehendentes illos ſcatere multo ſale Volatili urinoſo & plurimâ terrâ, ſtatim concludunt ſales iſtos rigidos claviculorum inſtar particulas terreſtres compingere & ferruminare; at rogarem ſententiæ hujus patronos, quid ni calculi ſemper in renibus ſuccreſcant, cum compertum ſit, urinam nunquam ſuo ſale volatili, & terra aut capite mortuo orbari. Nonnulli quandam generationis analogiam ſibi finxerunt inter calculos humanos & Lapides pretioſos in terræ penetralibus productos; ſed magnum diſcrimen reperturi ſumus, ſi

pen-

penſitaverimus Phænomena in hiſce comparentia, quæ diverſam atteſtantur originem, dum inſpicimus figuras elegantes Geometricas, Cubicas, Pentagonas &c. dum colores ſplendentes ac rutilantes contemplamur, & araneas, pellucidaſque aquæ guttas in illorum meditulliis concluſas, neceſſum eſt ut olim fluida fuiſſe corpora agnoſcamus in Matrice aut Proplaſmate hoſpitantia, quæ accedente halitu Metallico naturæ forſan auſteræ, ſimul colores iſtos refulgentes & notabilem conſequuntur ſoliditatem, quæ certe minimè quadrant concretionibus intra renes ſolideſcentibus; & quamvis non negarem aliquas ex cauſis prius recenſitis in quibuſdam hominibus aliquando locum obtinere poſſe; nihilominus ſatius eſſe duco ad cauſas faciles & manifeſtas confugere, quam difficiles, obſcuras & longè petitas, uti ſunt ſpiritus Gorgonici, fermenta auſtera, ſalina, vix milleſimæ parti hominum calculis colluctantium, obtingentia.

I X.

Spretis itaque præfatis Hypotheſibus, partim pro ſanæ rationi diſſonis, partimque ambiguis, arbitror plerumque calculorum ſcaturiginem derivandam eſſe à ſanguinis ſero per Renum glandulas tranſcolato, ſi forte Tartareis gypſeiſque abundet particulis, ſi ob tubulorum anguſtiam commorari queat, nec cum impetu urinæ depluentis in veſicam abripi, tum inhæreſcit iſtis partibus, irretitur, &, ſi ita loquar, inviſcatur ope pituitæ glutinoſæ, quæ genuinum exiſtit cæmentum calculorum, qui nidulantur, aut in Renum digitationibus aut in Pelvi aut Ureteribus, prout materia illa cretacea aut tartarea, loci opportunitate ſedem ſuam fixerit. Nam quicquid Authores quidam de calculis inter digitationum interſtitia deprehenſis deblaterent ſi uſpiam eo loci compareant, in animum meum inducere nequeo, quomodo ibidem concreſcere potuerint, imo hoſpitari niſi præ magnitudine illorum, tubulis illis mediis crepantibus, in interſtitia irrepſerint. Sanguinis ſerum per Renes filtratum continere poſſe particulas cretaceas & tartareas nemo dubitabit, ſi penſiculatiùs conſideret ſpiritum nitri, quamvis ſit liquor limpidus, plurimum materiæ cretaceæ abſcondere in ſuis poris. Exindeſi ullus obex circa renes reperiatur, particulæ illæ ſiſtuntur, una Atomus ſuper alteram accummulatur, rudimentum

cal-

calculi exoritur, qui poſtea, ſi urinæ fluento non deturbetur, in omnes creſcit dimenſiones, allabentibus ſenſim ac pedetentim aliis particulis, quæ propter ſuperficieculatum convenientiam, & debitam quietem in unum concretum coaleſcunt ac firmiter uniuntur; non aliter ac in Macrocoſmo, ſc. in piſcinis ac fluminibus videre eſt incruſtationes Lapideas abſque ullo fermento acido aut ſpiritu Architectonico, circa lignorum fruſtula, quæ per appoſitionem particularum terreſtrium generantur; uti & multi lapides in terræ gremio. Ex dictis facile conſtat, cur hujus morbi hæredes naſcimur, quoniam ſicut gibbus gibbum, atque arthriticus arthriticum progignit, atque ſicut parentes noſtros vultu æmulamur ac faciei figurâ, propter vultus oſſa hoc vel illo modo conſtructa, ſic nullus dubito, quin partium inferiorum configuratio ob morbidos parentes depravari poſſit, adeo ut ſi hi nanciſcantur tubulos Renum anguſtiores, etiam liberi iſtius vitii conſortes fieri queunt. Hinc ſi ſanguis inquinetur particulis tartareis, cujus cauſa repetenda eſt ab eſculentis & potulentis portiunculis viſcoſis ſcatentibus, naſcitur occaſio pariendis calculis intra Renes.

X.

Huc uſque morbi hujus cauſas enucleare annixus ſum, jam ſecundum præfatam methodum ratio ſymptomatum, quæ exinde ſcaturire ſolent, eſt habenda.

1. *Stupor crurum, aut verbis Hippocraticis, νάρκη τοῦ μηροῦ κατ' ἴξιν.*] Fateor hoc Symptoma Nephriticos non ſemper divexare, at ſi obtigerit, nullam aliam agnoſcit cauſam, quam quod calculi Renes opplentes, tantæ molis tantique ponderis fuerint, ut comprimant muſculos Pſoas Renibus ſubſtratos, perperam à palpando ſic vocitatos; hinc nervorum tubuli, qui iſtos muſculos perreptant, coarctantur, & ſpiritus animales parcius influunt, & quia nervi unà cum muſculis Pſois in crura feruntur, idcirco ſtupor eo loci oboritur; quamvis Galenus eos perſtringit ceu rerum Anatomicarum imperitos P. 6. S. 1. Lib. VI. Epidem, qui crurum cum Renibus Sympathiam per nervos exiſtere opinantur, cum ipſe hunc ſtuporem fieri maluerit, ope Venarum ac Arteriarum, ac diſtinctius Lib. de Renibus conſcripſit, autumans venam in crura protenſam à calculo Renali arctari, arctatam intumeſcere, tumefactam vici-

nos nervos anguſtare, uti Hippocrates verba faciens de morbis virginum ob ſanguinem è femoribus in Tibias ac pedes depreſſum, torporem induci reputat: ſed hæc difficultate laborant ſi penſitaverimus membra Plethorica citra ſtuporem gravari poſſe, ac tabidos (etſi ſanguinis copiâ minime redundent) nihiloſecius, ſi nephritide tententur, crurum ſtupore nequaquam vivere immunes.

2. *Dolor interdum gravativus, interdum ſatis atrox & excrucians reperitur, qui modò exacerbatur, modò evaneſcit.*] Dolor gravativus excitatur ſi calculus intra ſiphunculos & Pelvim nidulatur, partim ob nervos paucos per Renis pulpamentum diſperſos, unde minus ſenſus acutie pollent, partim quod conflacceſcant, tenſione carentes aptâ natâ ad excitandam in mente doloris ideam, quemadmodum in Liene numeroſis nervorum ſurculis conſperſo, at exilis eſt ſenſus, res ſe habet: ſi vero calculi urinæ torrente in ureteres deturbentur, dolorem pariunt acerrimum, ſubinde miteſcentem, qui acceptus eſt ferendus ureteribus in una parte ſtrictioribus efformatis, hinc eſt, dum lapillus forte aſper & rugoſus proprio pondere vel equi currentis ſuccuſſione devolvitur in loca anguſtiora, difficulter eluctatur, membranas ſenſus acutiſſimi diſtendendo infanda ciet tormina; ſi ad ſpatium patentius deveniat, induciæ ægro præbentur, dolor evaneſcit, ſic per vices excruciantur, reputantes haſce intermiſſiones doloris ac quietis, complures arguere calculos, cum reverà uno ac eodem calculo ſæpenumerò infeſtentur.

3. *Mictio cernitur cruenta.*] Hoc ſi contigerit tribuendum eſt tum calculorum ſcabritiei, tum molimini, hoc pacto atteruntur & ſauciantur vaſa ſanguinea quæ Pelvis parietes irrigare conſpiciuntur; imo cruor non tantum ex hiſce vaſis emanare poteſt cum fide Anatomica compertum ſit ureteres muſculoſos variis donatos arteriolis ac venis ab Hypogaſtricis oriundos, quas Oculatiſſimus Profeſſor Anatomicus ſupra laudatus à ſcriptoribus hactenus inviſas oculis noſtris conſpiciendas ſubjecit.

4. *Aliquando urina penitus ſufflaminatur.*] Hic ſubit mirari quorundam Authorum opinionem rationi ac experientiæ refragantem, dum ſtatuminant ἀδελφιξίαν aut fraternam neceſſitudinem obtinere, nempe ſi unus Ren ſauciatur aut obſtruitur, ut alter confeſtim condoleſcat, ac obliviſcatur ſuo fungi munere. Nulla enim urinæ ſufflaminatæ cauſa excogitari poteſt, niſi uterque Ren (nam

quid

quid obſtat quo minus alter alterius vicem ſuppleat & damnum reſarciat, licet eum in finem binos Renes naturæ quadam providentiâ fuiſſe conſtructos pernegemus) niſi digitationes Anſerinæ iſtis concretionibus totaliter oppleantur, vel ob jugem calculorum attritum coaleſcant, niſi ureteres prædictis obicibus obturentur; niſi in principio illorum prope pelvim, aut in medio, aut in fine, ubi in veſicam proſerpunt, coalitum perpeſſi fuerint, quorum exempla ſubminiſtrant ſectiones Anatomicæ.

5. *Ulcus Renum adeſt.*] Propter calculos circulationem ſanguinis impedientes, hinc Renes inflammantur, ſanguis ſtagnando acrimoniam adipiſcitur, & in pus convertitur mordax, quod præ ſua acrimonia Renum Parenchyma depaſcit, & aliquando lacunas & cuniculos agere ſolet.

6. *Vomitus conſpicitur.*] Qui non aliunde dependet, quam à commeatu & ſympathiâ inter Renes & Ventriculum tam ratione nervorum ſextæ conjugationis, quæ vagatur per univerſum Abdomen impertitque ſurculos Renibus pariter ac Ventriculo; quam reſpectu membranarum communium oriundarum à Peritonæo, in quo duplici tanquam in ſacco concluduntur Renes; ergo conſequens eſt, ut, injuriâ nervis iſtis allatâ, ventriculus compatiatur, & vomitu affligatur, qui nil aliud eſt, quam nervorum & membranarum ejus vellicatio, ac fundi ſubverſio, unde quicquid in ejus cavitate continetur, ſurſum exploditur. Sed de hiſce ſatis actum eſt, reſtat igitur ut Diagnoſin aggrediamur.

X I.

Ut aliquid certi conſtet de hoc affectu ſcire eſt ſigna Pathognomonica, quibus ab aliis morbis diſcriminari poteſt, ne hanc affectionem confundendo cum aliâ peccata Practica committamus, quæ nobis poſſunt eſſe dedecori, dum anſam præbemus ægrotantibus, ut Medicos diris devoveant. Colicus dolor, qui à flatibus proficiſcitur, ab hoc facili negotio diſtinguitur; in colico enim, flatus intra inteſtinorum fiſtulam huc & illuc diſcurrunt, gyros eorum cum ſonitu peragrant, maximeque in coli cellulis obmurmurant, ni materia acris & lancinans tunicis fiſtulæ inteſtinalis ſit impacta, tum dolor fixus perſentitur, quaſi aliquis aciculis eſſet compunctus; Nephriticus magis gravans eſt, quam atrox atque acutus; rurſus

 dolo-

doloris locus oſtendit diſcrimen, quoniam renes locantur ad principium vertebrarum lumbarium & occupant ſpatium inter coſtas ſpurias & crepidinem oſſis Coxendicis; accedit, ſi ſpina lumborum, pars affecta digitis contrectetur fortiter & comprimatur, ſtatim dolor exacerbatur, ægrotantes alta voce exclamant: luculento indicio doloris Nephritici, non colici Inteſtinorum. Differt à dolore in Lue Venerea vigente, quia iſte dolor de die miteſcit, noctu vèro exacerbatur; porro loco urinæ olidæ, ſemen quod virulentum excernitur, flaveſcentis aliquando deprehenditur caloris, ut prætercam execrandorum ſymptomatum catervam, Colis inflammationem, Bubones circa inguina, dolores atroces Perioſtea diſcruciantes: è contra in Nephritide dolor invaleſcit iſto decubitu quo calculus in ureterem delabitur, altero autem corporis ſitu minuitur, per quem recedit ab eodem uretere; exacuitur, aſſumptis alimentis, alvo conſtipata, ac inteſtinis flatu diſtentis; at inediâ, alvi exoneratione, & flatuum eruptione præbet inducias. Urina arenulis ſcatet, ſtupor cruris adeſt, truncus corporis difficili negotio inflectitur, etiam dolor, ut dixi, magis gràvativus eſt, quam acerbus, niſi calculus prægrandis detruſus ſit in ureterum anguſtias, tum adeo immanis reperitur ut in triumphum duxerit olim Stoicorum *ἀπάθειαν*, uti liquet ex Cicerone Tuſcul. Quæſt. ubi perhibetur Dionyſius aliam de dolore fovere ſententiam: *Herocleotes Dionyſius cum à Zenone fortis eſſe didiciſſet, à dolore deductus eſt, nam cum ex Renibus laboraret, in ipſo ejulatu clamitabat falſa eſſe quæ de dolore ipſe ſenſiſſet*, inquit Tullius. In Veſicæ calculo dolor acerbus Hypogaſtrii perſentitur, non lumborum & ſpinæ dorſi, materia glutinoſa excernitur, penis titillatur ac tentigine afficitur.

XII.

Explanatâ Diagnoſi, oportet ut ad Prognoſin progrediar, hunc affectum contumacem atque rebellem pronunciaturus, ratione diſtantiæ partis affectæ, exinde medicamenta multum energiæ amittunt, antequam renes attingunt, quicquid effutiunt œconomiæ corporis humani ignari, dum ſibi perſuadeant medicamenta ſtatim quaſi captiva duci ad partem dolentem (uti ajunt dolorem allicere humores) cum enerventur inſigniter in ventriculo propter

pter ſalivam, ejus fermentum; ac poſtea tranſeundo in inteſtina, occurrunt bili & Limphæ Pancreaticæ, deinde propulſa per oſcilla vaſorum Lacteorum Meſenterium perreptantium deferuntur in Ductum Pecquetianum, & admiſcentur Limphæ è centro corporis refluæ, ac tandem in Oceanum purpureum importantur, in varios tractus Microcoſmicos diſperguntur; & quod vires illorum infringit, eſt ſanguinis fermentum, ſicut etiam particulæ volatiles per cutis ſpiracula exhalant, ſic non minima pars ope reliquorum Emunctoriorum extra corpus eliminatur. Pertinaciam mali adauget calculorum figura, ut & magnitudo, nam ſi exiſtunt calculi variis angulis donati, acerbus enaſcitur dolor, renes propter ſcabritiem exulcerantur; ſi inſignis deprehendantur molis, difficulter, aut nunquam per ureterum cryptas & divaricationes eluctantur atque expelluntur. Calculos intra Renes nidulantes multa afferre incommoda mihi innoteſcit ex cadavere muliebri, quod memini me profectum vidiſſe in Collegiis Drelincurtianis, in quo totus Ren dexter calculis obſeſſus comparuit, quot caranculæ, totidem erant calculi minores; prægrandis multis angulis & ramis inſtructus Pelvim occupabat; Siphunculi mictuales occalluere omnes, adeo ut ne hilum ſpiritus admitterent; pus præ ſua mordacitate cuniculos egerat per totum Renis pulpamentum, viam extra ſibi parans verſus Abdomen, muliere fortè diu ſuperſtite; & quia Inteſtinum Colon Reni incubans, mordaci pure perforatum, orificii limbis pertinaciter ſeſe agglutinaverat, pus non in abdominis cavum effundebatur, ſed per podicem jugiter excretum erat; alter autem Ren, in quantum recordor, calculorum conſpiciebatur expers. Si in hac muliere pus fuiſſet effuſum in Abdominis cavitatem, illicò lethum illam corripuiſſet. Satius eſt unicum duntaxat Renem calculis laborare quam binos; exemplis compertum eſt plures diu fuiſſe ſuperſtites, quorum Ren dexter vel ſiniſter otiabatur, quamvis urinæ tranſcolatio non tam commodè peragatur, hinc eſt quòd ſæpenumerò Nephritici præcipitentur in Cacexiam, in Hydropem, quemadmodum contigit mulieri, de qua mentionem feci, forſan propter Nephritidem: ſi autem ob renes penitus obſtructos, aut colliculas renales coalitum paſſas, aut Lapillis oppletas, urinæ tranſitus in Veſicam totaliter impediatur, nunquam hoc Syrtium æquor enavigant, rarò in infirmis corporibus ad diem ſeptimum vita protollitur, ſi robuſta ſint corpora vitæ

tæ filum ad vigeſimum elongatur, nam nimis fluida ſanguinis conſiſtentia æquè ac coagulata necem infert. Porro calculoſa ſtirpe oriundus, paternæ aut maternæ crucis raro exors redditur: Venerandus noſter præſagium tulit veriſſimum dum in ſectionis ſext. Aphoriſ. 6, pronunciat, τὰ νεφριτικὰ ἀλγήματα ἐργωδῶς ὑγιάζεται τοῖσι πρεσβύτῃσιν, ſed potius ætatis flexu incrementum capiunt; adeo uti ſi aliquis quinquagenario major, illius curatio Hippocrati fuerit inviſa. Quare nimium infelici experientiâ de ſeipſo narrat Eraſmus in quadam Epiſtola, *Fœmina ſterileſcunt ætate, me ſenectus reddit fœcundiorem, aut etiam concipio aut pario aut parturio, ſed partus eſt viperinus & vereor ne quando parentem interimat. Certè ſemel atque iterum gravi periculo ſum enixus, quod ſi parum favente Junone & Lucina niti cœpero, vixerit Eraſmus.* Conſtat enim, ſi utrumque renem calculi obſtruant, intercluſa urinâ, quod intra paucos dies ægri moriantur. Si ulcus adſit nulla fermè ſpes affulgere poteſt ſalutis, ob calculum, qui Diuretica expoſcit, ulcus vero conſolidantia, & glutinoſa; etiam præ ſeri depluentis acrimoniâ, partes iſtæ continuo vellicantur. Deinde Renes in perenni actione verſantur, ſanatio quietem poſtulat. Quoniam de his ſatis ſuperque actum eſt, ad medelam properare cogor.

XIII.

Antequam ulterius pergam, opus eſt ut ſcopum, quem quilibet Artifex in ſua arte, multo magis Medicus, ubi res eſt de ſalute humana, ſibi in curando obtinendum proponere debet. Multi ſunt, qui inſtar Hannibalis, de quo fertur illum aceto rupiſſe montem, calculos comminuere aggrediuntur, & gloriantur ſe talia nanciſci medicamenta, ſed dum magnis ſuis excidunt auſis, & propinando medicamenta, quæ apud illos Lithontriptica audiunt, abſtergunt mucum iſtum benignum in ureteribus atque Veſica, quo tanquam loricâ Providus noſtri Opifex partes iſtas ſenſiles adverſus Salium ſpicula munivit, excoriationes & infandos circa ureteres excitant dolores (hujus rei Bartholinus in ſuis Actis Med. Part. 1. Obſ 77. funeſtum habet exemplum;) ergo tutior & felicior erit curatio, ſi ad hoſce ſcopos collimemus, ſc. ut tubuli Renum aperiantur, Diureſis promoveatur, pituita viſcida ac tenax, obex calculis alias, propter proprium pondus delapſuris, aut ureteres ſe conſtringentes,

ut

æ illa, inquam, diſſecatur, & deturbetur, ureteres complanentur, & lubricentur, dolor compeſcatur; denique novus calculorum proventus præpediatur.

X I V.

Ingens ſylva Medicamentorum, quæ ad morbum hunc debellandum comparantur, apud Authores Practicos reperitur, ſc. Confectiones Lithontripticæ, atque ſpecies, Electuaria, & ſimilia, quæ ex profeſſo ſilebo, ne tædio ſim Lectori, ſelectiora quædam enarraturus. Ad vias laxandas & lubricandas ſummope conducunt oleum Amygdalarum dulcium, ol. Olivarum, Nucis Moſchat. expreſſ. quod in hoc affectu magnarum eſt virium, Syrupus Violarum, de Althæa Fernelii, Byzantinus, Emulſiones ex Amygdalis, nucleis & ſeminibus oleagineis conflatæ; hujus farinæ exiſtunt Balſamica, partim poros Renum aperientia, obſtacula deturbantia; partim meatus urinarios lubricantia, uti oleum Terræ, ol. Terebinthinæ limpidum, Balſamum de Copaiva, Balſamum Sulphuris Juniperinum: in hunc cenſum veniunt Tinct. Diuret. Millipedum, Tinctura ſabinæ, Ligni Nephritici Tinctura ope ſpiritus vini extracta, quam in ſua Praxi Chymiatrica collaudat Hartmannus. Non immerito celebrantur, quatenus Diureſin promovent, ſpiritus Vitrioli, Nitri, Ol. Sulph. per Camp. ſi idoneis attemperentur vehiculis. Inter aquas deſtillatione elicitas, palmam aliis præripiunt Aquæ fœniculi, Saxifragiæ, Virgæ aureæ, Sabinæ, Fumariæ & Perſicariæ, quam in hoc caſu landat Nobiliſſimus & excellentiſſimus D. Boyle in libro quodam nondum, quod ſciam, Latino Idiomate donato, Hiſtoriam referens de viro Generoſo, qui beneficio iſtius aquæ numeroſos Calculo Renum divexatos, ut ita dicam, elapidaverat. Nec omittenda ſunt ſalia Alcalica fixa, quæ quoad vires nequaquam diſcrepant, nempe ſal Tamariſci, Geniſtæ, ſtipitum fabarum, Cardui Benedicti; ſal Tartari, Cremor ejuſdem, Tartarum Vitriolatum, Lapis Prunellæ, ex quibus pulveres concinnari poſſunt. Celebrantur Oculi Cancrorum, ovorum teſtæ contritæ, Flores Sulph. nec ſalia Succini, Cornu Cervi, Crocus Martis aperiens, ſuis deſtituuntur viribus; imo valet vitrum vulgare, ſi in pulverem redigatur impalpabilem, quod vitrum apud Veteres decantatur, tanquam non minus Veſicæ ſalutare, quam Renibus, ſi

 atte-

atterantur ſua acumina, aliàs fibras, ac vaſa tum V[illegible] Inteſtinorum, lethaliter lancinatura; ſi autem, ut præcipit Avenzoar, ſepties cum Reſina Therebinthinæ comburatur, & in Alcohol reducatur ſubtiliſſimum, innoxium prodit Medicamentum, quod calculum atterere perhibetur. In regno vegetabili plurima dantur vocitata Lithontriptica, ſem. Dauci, Petroſelini, Fœniculi, Saxifragiæ, Violariæ, Lithoſpermi; Radices Cichorii, Ononidis, Liquiritiæ, Raphani ruſticani, Althææ, & ſimilia. In expellendâ Renum ſaburra prodeſſe deprehenduntur acidulæ Spadanæ in Germania, & Leodienſes; in Anglia efficaciſſimæ multiplici experientiâ comprobantur Epſamenſes ac Tunbrigienſes. Si omnimoda urinæ ſufflamminatio contigerit, confugiendum eſt ad fortiora Diuretica, inter quæ Tinctura Vermium Majalium præcellit, ſi cum debita cautela adhibeatur. Dolor nephriticus, ſi ſit acerbus, eſt leniendus beneficio Tincturæ Opii, aut Laudani Opiati.

X V.

Si alvus ſit conſtipata & Colon ſcybalis duris onuſtum, conſultum foret enema injicere emolliens ac lubricans, quod conflari poteſt ex foliis Alth. Malv. floribus Meleloti lacte dulci, aut ſero ejus cum Ol. Scorpionum & Therebinth. cum ſale Gemmæ; ne propter pondus coli fœcibus onuſti ſuper Renes incubantis dolor augeatur, & calculorum expulſio impediatur. Si dolores ac inflammationes ſpinam lumbarem infeſtaverint, iſta regio inungatur Unguento Camphorato, aut Ol. Terræ cum pauxillo camph. aut ſpiritu vini Camphorato, ac poſtea imponatur ceratum infrigidans Galeni. Si calculus in Urethram penetraverit, exiguo cochleari Chirurgico educatur, ſi hoc modô extrahi reſpuat, infligatur vulnuſculum colem penetrans ad lapillum uſque, ex vulnere tunc promptè expellitur.

X V I.

Quod ad Diætam ſpectat, evitentur craſſa & viſcoſa eſculenta, uti legumina, piſa, pedes vitulini: culpantur cereviſiæ fæculentæ, atque vina, quæ portiunculis Tartareis ſcatent, quemadmodum rubella. Comedantur acetaria ex herbis Diureticis conflata. A quibuſdam Cæpæ, & Allia cocta prodeſſe cenſentur.

COROL-

COROLLARIA.

I.

Vnicum Ventriculi fermentum eſſe ſalivam ſtatuimus.

II.

Eſculenta in materiam pultaceam cremoris inſtar commutata in Ventriculo expectare debere, donec tota maſſa concoquatur, negamus.

III.

Plicas Ventriculi conſtructas, ut alimentorum reliquiæ in illis nidulentur ad ſequentem fermentationem eſcarum promovendam pro figmento habemus.

IV.

Alimenta ope fermenti confecta ſubire

*Vaſculis [illegible] ob [illegible] oppor-
tunitatem citra præcipitationem al-
lam, aſſero.*

V.

*Meconium ex triplici conſtare recremen-
to autumo.*

VI.

*Fœtus humanus nec ſugit, nec reſpirat
in uterinis carceribus.*

VII.

*Clyſteres non dantur partes ſolidas no-
ſtri corporis nutrientes.*

F I N I S.